



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. V. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

Confirmatur, & magis declaratur mens huius S. Doctoris: Eam ordinationem requirit S. Thomas ut sufficientem ad meritum, de condigno, quæ est ejusdem rationis cum ordinatione, quâ Deus dirigit res naturales ad consecutionem finis sibi connaturalis: Sed hæc est intrinseca: Ergo ex D. Thoma ordinatione requisita ad rationem meriti de condigno est sola intrinseca. Major pater ex verbis jam adductis: Minor etiam est manifesta. Nam res naturales non aliter moventur ad suos fines, quam per collationem virtutum activarum, quibus acquiritur finis, & per applicationem talium virtutum ad operandum: Sed hæc dicunt ordinationem intrinsecam, ut constat: Ergo ordinatione quâ Deus dirigit res naturales ad consecutionem sui finis, intrinseca est.

60. Potest etiam conclusio ratione suaderi. Si ad completam rationem meriti requireretur ex parte Dei, præter ordinationem ad præmium, inclusam in voluntate conferendi gratiam, tanquam principium merendi, aliqua promissio divina, vel aliquod pactum, eo esset ut Deus fieret debitor, & obligaretur reddere mercedem: Atqui ad hoc non requiritur pactum vel promissio, sed sufficit ordinatio ad præmium, inclusa in voluntate dandi gratiam, ut principium meriti: Ergo, &c. Major est præcipuum fundamentum doctrinæ Adversariorum, existimantium Deum non posse fieri debitorem, neque obligari ad reddendum præmium, vel mercedem, nisi ex pacto, vel promissione. Minor verò probatur: supposita ordinatione ad præmium, inclusa in voluntate dandi gratiam, tanquam principium meriti, æquæ Deus est debitor, & obligatus ad præmiandum bona nostra opera, ac supposita ejus promissione; sicut enim præsupposita sua promissione est debitor, non quidem nobis, sed sibi, ad eam implendam; ita præsupposita ordinatione gratiæ ad meritum, per modum principij ipsius, debet talem ordinationem implere: cum autem talis ordinatio necessarii includat, vel supponat voluntatem dandi gloriam bonis operibus hominis, ex gratia elicitis, tanquam meritorij ipsius, impossibile est quod impleatur, nisi qui ex gratia bene operatur, & gloriam meretur, infallibiliter eam assequatur, si tamen perseveret finaliter in tali merito, & illud per peccatum non interrumpatur.

61. Confirmatur primò: Ut Deus obligetur ad reddendum aliquid per modum præmij, sufficit quod ipsum dare decernat, & apud se statuat; æquæ enim obligatur Deus ad ea quæ semel decrevit, atque ad illa quæ promittit: Sed eo ipso quod Deus habet voluntatem dandi gratiam, tanquam principium meriti gloriæ æternæ, decernit & apud se statuit illam dare per modum præmij: Ergo obligatur consequenter ad eam sic reddendam.

62. Confirmatur secundò: Ideò promissio divina inducit in Deo debitum non solum fidelitatis, sed etiam justitiæ, non quidem commutativæ, sed distributivæ, ad reddendam bonis nostris operibus gloriam per modum præmij, quia conditio nobis onerosam includit, videlicet laborem & tolerantiam in exercitio bonorum operum: Sed hoc idem importat ordinatio gratiæ per modum principij totius nostri meriti ad eandem gloriam ut præmium: Ergo etiam inducit obligationem justitiæ distributivæ ad reddendum bonis nostris operibus gloriam per modum præmij.

A Probatur tertio conclusio: Meritum respectu præmij se habet sicut motus & via respectu termini, cum sit tendentia ad illud; vel sicut medium respectu finis, quia sicut medium causat finem in genere causæ efficientis, ita meritum movet voluntatem retribuendis, in genere causæ efficientis moralis, & præmium verè & propriè obtinet rationem finis: Sed motus & via ex principijs intrinsecis, & absque omni ordinatione extrinseca, respicit terminum; sicut & medium respicit finem ad quem connaturaliter ordinatur: Ergo meritum de condigno vitæ æternæ, seclusa quacumque promissione, & ordinatione Dei extrinseca, connaturaliter eam respicit per modum præmij, eo ipso quod procedit à gratia sanctificante, quæ est veluti semen gloriæ, & radix visionis beatificæ, ac fons aquæ salientis in vitam æternam, ut dicitur Joan. 4. subindeque ad tale meritum non requiritur necessario ordinatio Dei extrinseca, in pacto vel promissione consistens, sed sufficit ordinatio Dei intrinseca, quæ in collatione seu infusione gratiæ sanctificantis ut principij merendi includitur.

Ex his intelliges quod infusio gratiæ habitabilis, est ordinatio in vitam æternam, ut hæreditatem quidem, quatenus collatio est gratiæ absolute; ut præmium verò, mercedem, & coronam, quatenus est collatio gratiæ ut principij merendi: quæ duæ rationes sic se habent, ut licet secunda non possit esse sine prima, ista tamen sine illa esse possit; si Deus scilicet pro suo beneplacito vellet ac decerneret, ut gratia, quâ aliquem constituit filium suum adoptivum, non esset principium meriti, sed eodem modo se haberet, quo gratia quam habent animæ iustorum in Purgatorio.

§. V.

Solvuntur objectiones.

Obijciunt primò contra secundam conclusionem: Opera quantumvis perfecta, sancta, & bona, de se sunt improporcionata respectu beatitudinis: Ergo suum desumunt valorem ex divina acceptione, promissione, vel pacto, subindeque ab illo in ratione meriti de condigno formaliter constituuntur. Consequentia patet: Meritum enim de condigno consistit in condignitate seu proportionem operis cum præmio: Ergo si talis condignitas seu proportio à divina promissione sumatur, per illam, tanquam per rationem formalem, opera nostra bona redduntur meritoria de condigno vitæ æternæ. Antecedens verò probatur: Iustorum opera, quantumvis perfecta & sancta, sunt finita & limitata; beatitudo verò objectiva, quæ est ipse Deus, est infinita & illimitata, subindeque in infinitum illa opera excedit: Ergo opera nostra, quantumvis perfecta, sancta, & bona, de se sunt improporcionata respectu beatitudinis.

Respondeo negando Antecedens. Ad cuius probationem dico, quod licet beatitudo objectiva, quæ est præmium nostrorum operum, sit in se infinita, tamen finito modo communicatur; est enim Deus ipse, ut stat sub beatitudine formalis, quæ est actus intellectus creati, & ita non excedit in infinitum meritum quod est actus charitatis; præsertim cum objectum charitatis in via sit Deus ut in se est, qui est infinitus. Addo quod, dato quod præmium nostrorum operum sit infinitum, adhuc tamen inter illa reperitur proportio.

